



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 86. Alia, magisque honorifica Legatio ex Japonia ad eundem Pontificem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

errore sese cum Ecclesia Catholica con-  
 junxisset, tam impensis precibus, Sæc. XVII.  
 A. C. 1615.  
 validisque rationibus suum etiam Pa-  
 trem urgebat, ut hic quoque Romam  
 venire, ac cum integra sua familia ad  
 Christianorum castra transvolare de-  
 cerneret.

§. LXXXV.

*Grangrensis Episcopi Legatio ad Pau-  
 lum V. summum Pontificem.*

Ineunte Mense Januario anni supra mil- Bald. Chron.  
 moral.  
 lesimum sexcentimum decimi quinti  
 Romam deferebantur literæ a Gabriele  
 Grangrensi in Paphlagonia Episcopo,  
 qui se ad Sacrorum pedum oscula ven-  
 turum significabat, ac paulopost Ro-  
 mam adventans, totius suæ Nationis  
 & gregis nomine in Paulo V. summo  
 Pontifice, Romanaque Sede, Princi-  
 pis omnium in terris Episcoporum au-  
 ctoritatem agnoscebat, ac debita vene-  
 ratione profitebatur.

§. LXXXVI.

*Alia, magisque honorifica Legatio  
 ex Japonia ad eundem Pontificem.*

Quantumvis Romanæ Ecclesiæ hostes Cont. Sleid.  
 p. 4. l. 5.  
 Appam. ad  
 hunc ann.  
 nil intentatum, inausumque relin-  
 querent, ut etiam remotioribus in Re-  
 gnis

**Sæc. XVII.** gnis Catholicos infectarentur, nihilo-  
**A. C. 1615.** minus æternæ Mentis consilio plerum-  
 que factum novimus, ut eodem ferme  
 tempore, quo ejusmodi Novatores Ca-  
 tholicæ Reipublicæ stragem inferre mo-  
 liuntur, novis Infidelium accessionibus  
 vera fides augeatur: Hujus rei luculen-  
 tum nobis exhibet testimonium Japo-  
 nia; eo enim Angli, Batavique Insti-  
 tores navigationibus suis penetrantes,  
 non sine animi sui lætitia compererant,  
 quod Cubosama totius hujus Insulæ Im-  
 perator a suis Sacrificulis instigatus,  
 jam integro biennio in Catholicos ferro  
 flammaque, atque omni crudelitatum  
 genere ferociret. Igitur ipsi hac occa-  
 sione utendum rati, Imperatoriæ ra-  
 bie cursum jam antea plusquam nimis  
 ferventem suis quoque in Romanam  
 Ecclesiam, gentemque Hispanicam ef-  
 fusis contumeliis, ac mendaciis multo  
 vehementius inflammare cæperunt, qui-  
 nimo in ipsos Neophytos utriusque se-  
 xus cum Doctoribus ipsorum omni sup-  
 pliciorum acerbitate excrucianos, bel-  
 luinam Japonum sævitiam studio stimu-  
 labant, unde Christianorum quamplu-  
 rimi horum ciniflonum impulsu in car-  
 ceres deterrimos detrusi, variisque tor-  
 mentis excarnificati feliciter consum-  
 mato certaminis cursu pro Christi glo-  
 ria, ac fidei honore fortiter occubuere;  
 uti

*Krigaut. in  
triumph.*

*Mart. Jap.*

*l. 2. c. 6. &  
l. 5. c. 18.*

*Epist. P. Ri-  
chardi Franc,*

*apud Bald.*

*l. 6.*

uti præter alia monumenta testantur Sæc. XVII.  
A. C. 1615.  
literæ a Patre Richardo a S. Anna Fran-  
ciscano ex Japonia die secunda Maij an-  
no priori transmissæ: Verum hic ipse  
Martyrum sanguis in ipsis hisce remo-  
tioris Africæ Regnis Catholicorum se-  
men exstitisse videtur; quippe hoc ipso  
anno Idares Masamuna Foxuanorum  
in Japonia Rex ex ultimis Orientis fini-  
bus Philippum Faxecuram Rotuyemo-  
nem nobilem hujus Regni Japonem una-  
cum Patre Ludovico Sotelio Hispalensi  
Ordinis Minorum S. Francisci Romam  
ablegabat, ut se, totamque suam gen-  
tem in unum ovile, & sub unius Pa-  
storis obsequio submitteret. Hi ergo  
die decima Novembris in Hispaniam, &  
vigesima sequentis Mensis die anno priori  
Madritum adventantes, a Philippo III.  
Rege Catholico honorifice habebantur,  
ubi etiam Faxecura post susceptum sa-  
cræ Regenerationis Lavacrum Philippi  
Francisci nomen elegit. Inde vero hi  
Legati die vigesima secunda Augusti  
currente hoc anno profecti, ac se-  
cunda Octobris Genuam appulsi, post  
ingentes honorum significationes tan-  
dem die decima octava ejusdem Mensis  
ad Civitatem veterem pervenerunt, qui  
magnifica rheda excepti, belli tormen-  
tis in lætitiæ signum reboantibus, to-  
toque

*Civitavachia  
seu centu-  
mella.*

Sæc. XVII. A. C. 1615. toque populo festive applaudente die vigesima nona Octobris solemnem in urbem ingressum celebrabant, comitantibus eos quamplurimis Episcopis, Principibus ac Nobilibus tam Romanis, quam Gallis atque Hispanis.

## §. LXXXVII.

*Foxuani Regis epistola ad Paulum I. Papam.*

*Bald. Chronic. morale pag. 1031.*

**D**ies erat tertia Novembris, qua hi Legati ad summi Pontificis alioquium admissi fuere, ac præprimis Philippus Franciscus pretiosam, atque artificiosam vestem, qua nunquam, nisi coram suo Rege comparere licitum, indutus, ad summum Pontificem præsentibus Cardinalibus, Sulmonensi Principe, multisque Episcopis, Prælati, aliisque primæ Nobilitatis Viris accessit, atque in genua provolutus, pedesque Pontificis cum reverentia deosculatus, Regis sui literas obtulit, quas etiam Petrus Stroza, qui Pontifici a secretis, palam recitabat: in his Rex se quidem pro nunc fidem Catholicam amplecti haud posse, cupere tamen testabatur, ut ejus gentes, & subditi populi Religionis Christianæ præceptis instituerentur, hanc in rem sibi Fratres Minores de observantia submitti rogabat,